



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

O.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)

calcaneum tuum obseruat. Quid est obseruat calcaneum tuum? Quando labaris à via Dei tu obseruas primam suggestionem: ille obseruat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: Si cecideris, possidebit.

VIDE V. Auaritia. Mendacium. Simonia. V'sura.



O

O B S T I N A T I O.

Remedia contra Obstinationem.

RIMVM Remedium. Considera Spiritus sancti oracula in scripturis. Primò enim dehortatur ab omni animi obstinatione, obduratione, & impoenitentia. Ut in Psal. *Hodie si* Psal. 94. 8.
voce[m] eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et Zacharia *Con-* Zach. 1. 4.
uertimini de vitis vestris malis. Et in Ezechiele. *Conuertimini, & agite penitentiam* Ezech. 18. 30.
ab omnibus iniquitatibus vestris. Et in Ieremia. *Lava à malitia cor tuum.* Et in Ier. 4. 14.
epistola ad Hebræos. Non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. 2. declarat, Iob. 21. 13.
quam graue sit crimen obstinationis, & quam graui pœna dignum. Psal. 51. 9.
Ducunt in bonis dies suos, ait B. Iob, & in puncto ad inferna descendunt: qui dixerunt Psal. 57. 5.
Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum volumus. Et Propheta Dauid. Psal. 57. 5.
Quis gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? propterea Deus destruet te in fine.
Et Furor illis secundum similitudinẽ serpentis, sicut aspidis surda & obturantis aures
suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter, Deus
conteret dentes eorum in ore ipsorum. Et Salomon. *Impius cum venerit in profundum* Prou. 18. 5.
peccatorum contemnit. Et *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei* Prou. 29. 1.
superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. Et Ecclesiasticus. *Cor durum* Eccli. 3. 27.
habebit malè in nouissimo. Et. *Tunde latera filij tui, dum infans est, ne forte induret, &* Eccli. 30. 12.
non credat tibi. Apud Isaiã obstinatorum verba sunt. *Percussimus fœdus cum* Isa. 18. 15.
morte, & cum inferno fecimus pactum. Et in Zacharia de iisdem. *Cor suum posue-* Zach. 7. 12.
runt vt adamantem, ne audirent legem, &c. Et facta est indignatio magna à Domino Exod. 4. 82.
exercituum. 3. de obduratione cordis præcipue sugillat Pharaonem, & fi- Exod. 10. 1.
lios Irahel. Pharaonem quidẽ in Exodo læpius. Ego, inquit Dominus, & seruoũ il- Exod. 14. 40.
lus, Et. Et indurabo cor eius, & persequetur vos. Filios Israel verò in eorũ maio- Gen. 49. 8.
ribus, primũ in l. Gen. Simeõ & Leui, vasa iniquitatis bellætia, &c. maledictus furor

Isa. 48. 4.
Ierem. 5. 3.

Act. 7. 5.

Bas. q. 9.

Matth. 18. 17.

2. Theff. 3. 6.

Id. q. 7.

Luc. 17. 1.

Matth. 18. 9.
Hier. ep. 48.

Ezech. 3. 3.

Isa. 22.

Amb. 1. 3.

Isa. 22. 14.

Aug. 1. c. 18.

p. c. 8.

Psal. 58.

eorum, quia pertinax & indignatio eorum, quia dura, diuina eos in Jacob. Deinde in Isaiam. Scit enim, inquit Dominus, quia durus es tu, & ne quis ferretus coram tua, & frons tua area, & Ieremias. Percussisti eos (Domine) & non doluerunt: auer- uisti eos, & reuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas super parauis, & noluerunt reuerti. Et S. Stephanus ad Iudaeos. Dura ceruice, & in circumfessionibus & auribus, vos semper spiritum sancto resistitis.

II. R E M E D. Considera SS. Patrum testimonia. BASTIUS in regulis breuioribus. QVÆSTIO. Aduersus eum, qui obstinate pergit peccare, quomodo erimus animati? RESPONSIO. Eo nempe, quo Dominus iussit, cum dixit. Si autem Ecclesiam non audierit, sic tibi sicut Ethnicus & Publicanus, & ut Apostolus docuit, cum scripto reliquit. Vi subtrahatis vos ab omni fratre ambulante in ordine, & non secundum traditionem quam accepistis a nobis. Et paulo ante, posita questione, quod eorum sit iudicium, qui peccantes defendunt, respondet. Grauius illo opinor de quo dictum est. Expediat ei, ut suspendatur mola asinaria circa col- lum eius, & proiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Si quis non iam obiurgationem ad correctionem, sed defensionem ad confirmationem peccati cepit ille qui peccauit, & alios ad similia flagitia excitat. Ex quo fit ut nisi fructus penitentiæ dignos ediderit, qui alium defendit, in eum conueniat illud, quod a Domino dictum est. Quod si oculus tuus dextere scandalizat te, erue eum & proice abs te. S. HIERONYMVS ad Sabinianum. Liber quem Propheta deuorat, omnis series scripturarum est. In quibus & poenitens plangitur, & iustus canitur, & maledicuntur desperans. Nihil ita repugnat Deo, quam cor impoenitens. Solum crimen est, quod penitentiam confitequi non potest. Si enim ei ignoscitur post peccatum, qui peccare desistit, & ille fletu iudicem qui rogat: impoenitens autem omnis ad iracundiam prouocat iudicantem. Solum desperationis crimen est, quod mederi nequeat. Et libro quinto commentariorum in Isaiam. Nihil sic offendit Deum, quam post peccata erecta ceruix, & ex desperatione contemptus. Quod & per Amos loquitur. Super tres & quatuor impietates non auersabor eum: quod & cogitauerit & fecerit, & non egerit poenitentiam: insuper & docuerit malum. Unde & nunc dicitur. Si dimittetur iniquitas hac uobis deus moriamini, dicit Dominus. AVG. in Exodum. Vi tale cor haberet Pharaos, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, uitiu propriu fuit. Quod uero facta sunt ea, quibus cor suo uicio tam malignum resisteret iussuribus Dei, hoc est enim quod dicitur, induratum, quia non flexibiliter resistebas dispensationis sui diuina, qua tali cordi non solum iusta, sed euidenter iusta poena parabat, qua timētes Deum corrigentur. Et in Enchiridio ad Laurentium. Qui in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantā diuini muneris largitatē, & in hac obstinatione mentis diē claudit extremū reus est ille irremissibili peccato in Spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. Et in Psalmi uerba. Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Est quaedam iniquitas, inquit, quam qui operatur non potest fieri, ut misereatur ei Deus. Quæritis forte, quanam illa sit? Ipsa est defen-

Ho peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua magnam iniquitatem operatur. Hoc defendit, quod Dominus odit. S. GREG. in Ezechielem. Non cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obdurate non liberat. Misericors enim Deus tempus nobis ad poenitentiam relaxat, sed cum eius gratia patientiam nos ad augmentum vertimus, culpa, hoc ipsum tempus, quod ad parcendum pie disposuit, distriktius ad feriendum vertit, ut quia reverti quis etiam spatio temporis accepto noluerit per hoc mala sua ad rem augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset. Unde scriptum est. Ignoras, quia benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? secundum duritiam aure tuam & cor impenitens thesaurizas tibi iram in die ire & reuelationis iusti iudicii. S. BERN. de consideratione ad Eugenium Papam. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Ne no duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo iuxta prophetam cor lapideum & dedit cor carneum. Quid ergo cor durum? Ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec mouetur, precibus, minis non cadit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad iudicia seuum, inuerecundum ad turpia, impaudum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, praeteritorum obliuiscens, praesentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui praeteritorum praeter solas iniurias, nihil omnino non praeterit, praesentium nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ueliscendum prospectio, seu praeparatio est. Et ut in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. Et in fermone de conuersione ad clericos. An vero gratior ulla phrenesis iudicatur, quam in poenitentia cordis, & peccandi obstinata voluntas? siquidem manus nefarias inticit sibi ipsi: nec carnem, sed mentem lacerat & corrodit.

Greg. hom. 11.

Rom. 2. 4.

Bern 1. 7.

Ezech. 36. 26.

Id. c. 4.

Ezech. 33. 10.

Matth. 11. 28.

Matth. 18. 18.

Amb 1. 2. c. 4.

Ioel. 2. 32.

III. REMED. Considera nullum morbum obstinationis, impenitentiae vel contemptus diuinæ gratiae, alteriusuè criminis licet atrocissimi posse esse tam grauem, quam diu homo uiuit, quin curari possit. Nam cum quidam apud Ezechielem de salute desperantes dicerent. Iniquitates nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus, quomodo ergo uiuere poterimus? Dominus sic respondit. Dic ad eos. Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo moriem impij, sed ut conuertatur impius à via sua & uiuat. Conuertimini à uitis uestris pessimis & quare moriemini domus Israel? CHRIS TVS quoque sine exceptione omnes inuitat ad se. Venite omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Et Apostolis generatim dicit. Quaecunque solueritis super terram, erunt soluta & in caelis. Et ne quis ob crebriores lapsus peccata aliqua irremissibilia crederet, ibidem monuit non solum septies, sed septuagies septies peccata esse remittenda, numerum certum pro incerto & infinito ponens, ut ibidem Hilarius, Hieronymus, & alij annotarunt. Nec aliud Patres sentierunt. AMBROSIVS libro de poenitentia. Omnibus conuersis pollicetur veniam, quia scriptum est. Omnis qui uocauerit nomen Domini saluus erit. A V C. in

Aug. l. i. c. 19.
Id. l. i. c. 33. de
temp.

Chry. hom. 2.

Cyp. de cæna
Domin.

Hier. ep. 7. & 25.

libris Retractionum. De quocunque pessime in hac vita constituto non est vique
desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. Et alibi. Hoc
liter et firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam DEVS deserit hominem nisi
prius ab homine deseratur. CHRYSOSTOMVS in psalmum 50. Nolo excusatio-
nes mihi afferas. Millies peccasti? millies pœnitere; etiamsi animam effans iam de hoc
mundo exte debeas. Non impeditur temporis angustia misericordia Dei. CYPRI-
ANVS & HIERONYMVS clamant nunquam seram esse pœnitentiam, modo veram.
Quod ergo superius dixit Hier. Solum crimen cordis impœnitentis esse, quod ve-
niam consequi non potest: Et quod Bern. neminem duri cordis salutem vnquam con-
secutum, id intelligendum est de iis qui in obduratione cordis vsque ad
finem vitæ Perstiterunt.

Ezech. 36. 26.

Psal. 46. 14.

Greg. l. 26. c. 30.
& 31.

Psal. 129. 7.

Aug. ib.

IV. REMED. Refugium ad DEVM per arduas preces, qui promittit,
si conuertamur ad se, se cor nostrum lapideum mutaturum in carneum.
Auferam, inquit apud Ezechielem, cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis
cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præcipio meo
ambuletis. Hoc remedio vsus est regius propheta cum à lapsu obduratio-
nis periculum metueret, ita exclamans. In multitudine misericordie exaudi me
in veritate salutis tue. Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua, se-
cundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Erripe me de luto, ut non
infigar, libera me ab iis qui oderunt me et de profundis aquarum. Non me demergat
tempestas aqua, neque absorbeat me profunditas, neque urgeat super me puteus os suum.
Quæ verba exponens B. Gregorius in libris moralium ita scribit. Quis
mali operis iniquitas à bona stabilitate commouit, quasi si tempestas aqua rapit, sed
adhuc longa consuetudine non praualeuit, non demersit. Iam in iurum cecidit, qui
quod diuina lex prohibuit perpetravit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, ne-
quaquam os suum puteus coangustauit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto magis
consuetudine coarctatur. Lapis verò puteo superponitur, cum etiam dura consuetudi-
ne mens in peccato demoratur, ut a se veluti exurgere iam vnicuique non possit, quia me-
les de super mala consuetudinis præmit. Idem in persona magni peccatoris alibi
erupit in hæc verba. De profundis clamauit ad te Domine, Domine exaudi orationem
meam. Vbi Augustinus. Quis est, qui clamat? peccator. Et qua spe clamat? quis
qui venit soluere peccata, dedit eum spem in profundo posito peccatori. Ideo quid sequi-
tur post istas voces? (Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?)
Ecce apperuit, de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus et fluctibus iniqui-
tatum suarum. Circumspexit se, circumspexit vitam suam, vidit illam vnicuique flagitiis et
facinoribus coopertam. Quacumque respexit, nihil in se bonum inuenit, nihil illi iustitia
serenum potuit occurrere. Et cum tanta et tam multa peccata vnicuique, et ceteras scelerum
suorum videret tanquam expansens exclamauit. Si iniquitates obseruaueris Do-
mine, &c. Eodè antidoto vsa est B. Monica vt carissimum filium suum Au-
gustinum ex luto deterrimæ hæresis Manichæorum, in qua per nouem
annos

annos demeritus iacebat, tandem vindicaret. Assiduis enim precibus pro salute filii Deum orauit, donec tandem, ut est in libro tertio Confessionum, iuuenis splendidus somnianti matri apparuit, dicens. *Vbi tu, ibi ille.* Quod miratus Augustinus. *O tu bone Deus omnipotens, inquit, qui curas vnusquemque nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Quare cum rogasset aliquando S. Ambrosium Mediolanensem antistitem, ut eum in via reuocare dignearetur. Is respondit, nec dū oportunū tempus esse eum docendi, propterea quod æquo pertinacius adhuc suo errori, adhereret, pergeret tantum ipsa orare, ipsumque legendo suum errorem deprehensurum. Et cum illa porro instaret, Episcopus ait, *Vade, ita fac, fieri enim non potest, ut filius tantarum lacrymarum pereat.*

V. R E M E D. est Pœnitentiã vera. Ait enim apud Ezechielem Dominus. *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iusticiã, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor.* Exemplum illustre habemus in latrone cum Christo crucifixo, qui licet vsque ad extremã vitæ horam perstitisset in peccatis, beneficio tamen orationis & pœnitentiæ indulgentiam eorum consecutus est. *Ipsè Dominus noster, ait CYP. derelictorum personam gerens in cruce se queritur derelictum, & ne desperarent etiam in ultimis constituti, festinans in adiutorium ilico adest, & re in arcto posita non differt beneficium sed repente indulgentiã celeris documentum eiusdem statuit & exemplum, latroni inquit: Hodie mecum eris in paradiso. Latrocinium damnationem meruerat & supplicium, sed cor contritum pœnam mutauit in martirium & sanguinem in baptismum.* **HIER.** Sabirianum diaconum luxuriosum, cum iam pœne obduratus esset in sceleribus, his verbis inuadit. *Facies meretricis facta est tibi, ne sis irubescere. Conuertere miser ad Dominũ ut ad te Dominus conuertatur. Age pœnitentiã, ut & ille agat pœnitentiã super omnib. q̄ locutus est malis, ut faceret tibi. Fluant paululũ de oculis lacrymæ. Nunquam sera est pœnitentiã. Quãuis de Hierosolimis descendis, & sis in itinere vulneratus, inde te Samaritanus impositum iumentis curandum q̄ ad stabulũ referet. Sed & si mortuus iaces in sepulchro, tamẽ & fatentẽ Dominus suscitabit. Cũ conuersus ingemueris, tunc saluus eris, & tũc scies vbi fueris. Tangat modicè caritres tuas. Licet ab vtero sic genitus sis, & in delictis conceperit te mater tua, asperget te hyssopo & mundaberis: lauabit se, & sup̄ nũc dealbaberis. Quid incurruist error heres, & totus in cœno iaces? Illa, q̄ decem & octo annis satanas vixerat, post q̄ a saluatore curata est, cœlũ erecta suspexit. Quod ad Cain dictũ est, tibi dictũ puta. Peccasti, quiesce. At quæres, quo timore, & lacrymis recedere quis debeat à peccatis, in quib. obstinate diu vixit, & qua spe, quauẽ affectione ad Deũ accedere? Respondet S. BAS. in regulis breuiorib. *Primũ quidẽ is male antea cãã vitã suã odissẽ debet, eiusq̄ memoriã abhorrere ac desestari. Scriptũ est. n. Iniquitatẽ odio habui, & abominatũ sum, legẽ autẽ tuã dilexi: deinde etiam timoris quidẽ magistrũ sibi asfiscere**

Ezech. 18. 21.

Cyp. serm. de cœna.

Luc. 23. 42.

Hier. ep. 48.

Isa. 30. iuxta 70.

Luc. 13. 16.

Gen. 4. 7.

Basil. q. 10.

Psal. 118. 162.

asciscere

Iſa. 18.

Pſal. 19. 6. 12.

Id. q. 55.

Eccli. 11. 1.

Eccli. 5. 8.
Greg. 1. 25. c. 12.

Aug. ſerm. 88.

Ezech. 33. 11.

Prou. 18. 3.
Rom. 2. 4.

Bern. ſerm. 42.

Ezech. 3. 7.

aſciſcere comminationem æterni iudicij, ſupplicijque: lachrymarum autem locum agnoscere locum pœnitentiæ oportunitate eo modo, quo docuit Dauid in 6. pſalmo firmiſſime credens purgationem peccatorum ſuorum factam eſſe per ſanguinẽ Chriſti in magnitudine miſericordiæ, & multitudine miſerationum Dei, & ut ille, qui dixit. Quod ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabitur: & ſi fuerint rubra ſicut vermikulus, velut lana alba erunt. Tunc enim naſta poteſtatem placendi Deo illud dicit. Ad veſperum demorabitur ſtetus, & ad matutinum lætitiã. Et illud. conuertijſti planctum meum in gaudium mihi. Addit in regulis fauſus diſputatis. Sicut morborum inueterati, non niſi longa & acri curatione ſanantur, ſic peccata inueterata, dura patientiã, aſſidua oratione, & acerrima animi contentione curari oportet. Quibz repetitis vicibus ac multo cum labore intinctum eſt, tincturam excipit preſſus inuidentem, & qua vix elui quaerit: obiter autem colore aliquo infectum tincturam bibi facile mobilem: ſic anima ſanie peccatorum ſupperata, & in habitu conſtituta multo vix ac multo negotio elui poteſt.

VI. R E M E D. Quo longius à periculo obſtinationis, impœnitentiæ & contemptus abſiſ, da operam vt quoties in crimen aliquod lapſus fueris, reſpicias & pœnitentiã agas iuxta conſilium Sapientis. Fili peccatoſi inquit, non adicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare vt tibi dimittantur. Et Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim venies in illud. Rationem huius reddit B. GREGORIUS in libris moralium. Omne qui peccatum, quod tamen citius pœnitendo non tergetur, ipſo ſuo pondere non ad aliud trahit. Qua autem via trahat ad obdurationem explanat Auguſtinus, dicens in ſermone quodam de tempore. Cum enim & ſemel & ſecundo & tertio vnusquisque grauiã peccata commiſerit, expectat tamen illum D E V S, ſicut per prophetã dicit, vt conuertatur & viuat. Cum verò in peccatis ſuis coeperit permanere, de multitudine peccatorum naſcitur deſperatio, ex deſperatione obduratio generatur. Dum homines negligentes in priſtis deſpiciunt peccata ſua, quia paruã ſunt, & ſententibus minutis peccatis adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demerent. Quod cum factum fuerit, impletur hoc quod ſcriptum eſt. Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit. De talibus & Apoſtolus dicit. Ignoras, quod patientiã Dei ad pœnitentiã te adducit? Tu autem ſecundum duritiã cordis tui, & cor impatiens theſaurizã tibi iram in die ira. De eadẽ via in religioſis correptionum contemptoribus ſic ratiocinatur B. Bernardus in cantica Salomonis. Velut nimirum perimere hoſtem, & eripere fratrem: & non feci ſic, magis autem contrarium acciſit, nam læſi animam, & culpam auxi. Si quidem acceſſit & contemptus. Nolumus audire te, inquit Dominus, quia nolunt audire me. Vides quã maieſtas contemnitur? Et mox. Plerumque etiam impatiencia contemptui iungitur, itã vt aliqui non ſolum non curet corrigi obiurgatus, ſed inſuper obiurganti indignetur more phreneticorum manuã medici repellentis. Mira peruerſitas, medicanti irãſcitur, qui non irãſcitur ſcigittanti. Eſt enim qui ſagittat in obſcuro rectos corde. Et paulo poſt. Aliquoties adde-

zur & impudentia, vt non modo impatienter ferat, quod corripitur, sed etiam id vnde reprehenditur impudenter defendat. Hoc plane desperatio. Frons, inquit, mulieris meretricis facta est tibi, noluisisti erubescere. Et ait. Recessit zelus meus a te, vltra non irascar tibi. Solo auditu contremisco. Sentisne quanti periculi quantiq; horroris & tremoris res sit peccati defensor? Dicit iterum. Ego quos amo, arguo & castigo. Si ergo te zelus deseruit, & amor, nec eris amore dignus qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur? Et infra. An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impudentia mater desperationis? Quem enim poeniteat super bono quod putat?

VII. R E M E D . Considera inter omnia peccata obstinationem esse præcipuum signum æternæ reprobationis, quod intelligere potes ex tribus exemplis in diuina scriptura maximè celebratis. Primum est Luciferi & omnium sociorum eius, qui, à quo tempore lapsi sunt nunquam respuerunt, de quo S. BERN. exponens verba psalmi 90. Quoniam angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Videamus, inquit, & demonum vias: videamus, & fugiamus eas. Si quidem viæ illorum præsumptio & obstinatio. Propter præsumptionem stare non potuerunt; propter obstinationem, qui cecidit non adiciet vt resurgat. Ex hac namque sp̄itus vadens, ex illa non rediens est. Et mira quidem præsumptio demonum, sed non minus mira obstinatio est, quod superbia eorum semper ascendat, propterea non est illis commutatio. Quia enim conuerti noluerunt à viæ præsumptis, inciderunt in viam obstinationis, quam peruerso & euerso sunt corde filij hominum, quicumque sectantur vestigia demonum, ingrediuntur demonum vias?

Et infra. Et viæ quidem hominum ipse sunt de quibus dicitur. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, & quia humanum est peccare. Porro vias diabolicas à natura homines alienas esse quis nesciat, nisi quod in nonnullis ipsa sibi consuetudo induisse naturam videatur? Cæterum, & si quorundam hominum sit, non humanum tamen, sed diabolicum est in malo perseverare. Alterum exemplum est Pharaonis, quem Apostolus Paulus, quia tot verbis & signis per Moysen editis moueri non potuit vt populum Dei dimitteret, in typum obduratorum & reprobatorum in epistola ad Romanos proposuit, allegans verba Domini ex libro Exodi. Dicit enim scriptura, inquit, Pharaoni. Quia in hoc ipsum excitauit te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur: & quem vult indurat. Sensus est cum præuiderim ò Pharaon, fore te mihi contrarium, & obstinato animo præceptis meis reluctaturum, ac potuerim impedire, ne nasceris, aut ne regno potirens, vel etiam stauim è medio tollere, cum primum peccare cæpisti, ideo tamen & vitam & regnum concessi tibi, idque non ad breue tempus, vt malitia tua vterer ad exercitationem populi mei, simulque ad demonstrandam in tuo supplicio interituque iustitiam atq; potentiam. Ita exponit B. AVG. in quæstionibus super Exodum, & concludit. Nouit ergo Deus

Ier. 3. 7.
Ezech. 16. 42.

Apo. 1. 18.

Bern. serm. 42.
Psal. 90. 11.

1. Cor. 10. 13.

Rom. 9. 17.

Exo. 9. 16.

Aug. 9. 32.



Act. 7. 58.

Aug. ep. 209.

Mala. 1. 2.

Rom. 9. 11.

in malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creata, sed ea perferre patienter, quousque sent oportere, non inanis, sed vitando eis ad admonitionem, vel excitationem bonorum. TERTIVM exemplum est Iudæorum de quorum perpetua obstinatione constat ex scripturis supra allegatis, & maxime ex illo dicto S. Stephani, *Dura ceruice & in circumcisis cordibus & auribus, res super spiritui sancto resististis.* De iisdem verò, velut reproborum typo non obscure agit D. Paulus in Epistola ad Romanos, capitulo nono, decimo & undecimo. Et B. AUG. in epistola ad Afellicum. *Doctrina, inquit, Apostolica atque Catholica satis euidenter indicat nobis secundum mysterium spiritus, ad Esau Iudæos, ad Israhel pertinere Christianos. Ita quippe impletur, quod scriptum est, manus seruit minori, id est, prior natus populus Iudæorum posteriori nato populo Iudæorum.* Constat autem Israhel vel Iacob typum esse prædestinatorum. Esau verò reproborum, secundum illud quod in manu Malachiae Dominus dixit. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui, id est, ab omni æternitate, cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut interpretatur Apostolus.*

VIDE. V. *Consuetudo praua. Desperatio. Immortificatio passionum. Indiciam proprium. Præsumptio. Superbia. Voluntas propria.*

O D I V M.

*Remedia contra Odium Proximi.*Leuit. 19. 17.
Prou. 10. 12.
Prou. 16. 26.

1. Ioan. 2. 11.

1. Ioan. 3. 10.
1. Ioan. 3. 15.

2. Ioan. 4. 20.

Leu. 19. 18.
Matth. 22. 39.
Matth. 5. 44.
Ioan. 15. 12.
Rom. 12. 20.
2. Ioan. 1. 11.

I REMED. Considera diuinæ scripturæ sententias, quibus proximi odium prohibetur & damnatur. ut in Leuitico. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et in Prouerbiis. *Odium suscitatur rixas, & vniuersa delicta operit caritas.* Et. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.* Et apud Beatum IOHANNEM. *Qui odit fratrem suum in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Et. *Omnis qui non est natus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.* Et. *Qui non diligit, manet in morte.* Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Et si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. 2. quibus imperatur dilectio omnis proximi, etiam inimici. ut in Leuitico, & Euangelio Matthæi. *Diliges, inquit Deus, amicum tuum sicut te ipsum.* Et CHRISTVS. *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros, ut sitis filij patris vestri.* Et. *Hoc est præceptum meum ut diligatis inuicem sicut dilexi vos.* Et Paulus. *Si fuerit inimicus tuus ciba illum, si sitit potum da illi, & hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* Et Beatus IOAN. *Hæc est amantissimum, quam auersus ab initio, ut diligatis alterutrum, non sicut Cain, qui ex malis*

erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius malignauerant, fratris autem eius iusta.

II. REMED. ex SS. Patribus. B. EPHRAËM. *Quemadmodum omnium virtutum excellentissima est Caritas, ita vniuersorum vitiorum grauissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus. Qui odit fratrem, Deum ipsum odio habet. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo vadat, quoniam tenebrae obscurarunt oculos eius. Ecce quantum malorum sit causa odium.* S. BASILIUS, de institutione monachorum. *Vbi deliquitum patitur charitas, eo profusus eius loco odium succedit. Quod si, ut IOANNES ait, DEVS caritas est, sine dubio necesse est diabolus odium esse. Ut igitur qui caritatem habet, is DEVM habet, sic qui odium habet, diabolus in se nutrit.* S. AMBROSIVS præcatione ad Missam. *De inuidia odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis eius propagatur. O mala progenies quæ si animo intromissa dominari cepit, omnem sanctitatis sobolem extinguit. Qui itaque inuidet vel odit, non alium prius, quam seipsum occidit. Qui exultat in aduersis proximi, & affligitur in prosperis eius, alieno proximum se petit gladio. Hoc secundum superbiam virgultum tunc primo fuit exortum, cum ille de quo scriptum est, Inuidia diaboli mors introiit in orbem terrarum: Cain persuasit vi liuoris odio fratrum funderet sanguinem S. HIERON. ad Castorinam materteram. Ioannes idem Apostolus & Euangelista in epistola sua ait. Quicumque odit fratrem suum homicida est, & rectè. Cum enim homicidium ex odio sepe nascatur: quicumque odit, etiam si nec gladio percusserit, aut tamen homicida est. Cur, ais, tale principium? Scilicet vi veteri rancore depectio mundum peccatoris Deo paromus habitaculum. Irascimini, inquit, Diuid, & nolite peccare. Hoc quid velit intelligi, Apostolus plenius interpretatur. Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die iudicij, super quorum iram, non vnius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? S. AUG. in lib. 50. homiliarum. Iratus es? nolite peccare. Irascimini & nolite peccare. Irascimini quasi homines, si vincimini, & nolite peccare, vi iram in corde teneatis. Quid est ira? libido vindictæ. Quid odium? ira inueterata si facta est, iam odium dicitur. Quod videtur confiteri ille, qui cum dixisset, turbatus est præ ira oculus meus, addidit inueterati in omnibus inimicis meis? Quod erat ira, cum erat noua, odium factum est, quia in vetustatem conuersum. Ira festuca est, odium trabes est. Aliquando reprehendimus irascentem, & odium tenemus in corde, & dicit nobis Christus. Festucam in oculo fratris tui vides, & trabem in oculo tuo non vides? Unde erent festuca vt trabem faceret? quia non statim euulsa est. CHRYSOSTOMVS in psalm. 7. Nec Christus hoc iussit nos non habere inimicos, sed non odisse: hoc enim est in nostra potestate, illud vero omnino non est. Ne autem sine causa odio habeamus, non est in nostra potestate, sed in eorum qui oderunt. Improbè enim bonos nulla de causa omnino odisse consuecere. Non est enim hoc spectandum vt non habeamus inimicos, sed ne iuste & cum causa, & vt licet illis odio habeamur, non habeamus odio, neque auersemur. Sunt hæc*

Yy 2 enim

Ephr. in inter-
rogat. tom. 1.
1. Ioan. 3. 15.
1. Ioan. 4. 11.

Bas. in ferm.
1. Ioan. 4. 9.

Ambr. præc. 6.

Sap. 2. 24.
Gen. 4.
Hier. ep. 36.

1. Ioan. 3. 15.

Psal. 4. 5.
Eph. 4. 26.

Aug. hom. 42.

Matth. 7. 3.

Chrysost.

enim inimica, odio habere, & auersari. Et paulo post, *Hic odio te habet, & bellum gerit. Tu ama eum beneficio affice. Probris & maledictis appetit, tu benedic & lauda. Sed ne sic quidem soluit inimicitias. maiorem igitur tibi affert mercedem. Mali enim, quo magis à nobis obseruati bellum nolunt componere, eo nobis splendidiorum remunerationem comparant, & se reddunt imbecilliores.*

III. REMED. Considerate, si odium aliquod in corde foueas, non posse solum non vñ sanctissimis sacramentis, sed nec vnicam dominicam orationem sine mendacio recitare. Vtrumq; disertè Christus Dominus docuit apud Matthæum. Cum enim dixisset. *Ego dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. mox subiicit. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Deinde in oratione Dominica iussit nos diserte dicere. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui autem fouet odium in corde certe non dimittit debitum proximi, & si non dimittit, mentitur. Idem docuere & SS. Patres. **HIERONIMVS** ad Castorinam. *Quid agemus nos in die iudicij super quorum iram non vnus diei sed tantorum annorum Sol testis occubuit? Dominus loquitur in Euangelio. Si offers munus tuum ad altare, ibiq; recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade reconciliari prius fratri tuo, & sic offeres munus tuum ad altare. Va mihi misero, ne dicam & tibi, qui tanto tempore aut non obtuli munus ad altare, aut ira permouente sine causa obtuli. Quomodo in quotidiana prece vnquam diximus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: animo disrepante cum verbis, oratione dissidente cum factis? Precor itaque, vt pacem quam nobis reliquit Dominus, habeamus. Quod si tu, quod procul absit, nolueris, ego liber ero.* Epistola hæc mecum lecta fuerit, absoluet. **AVG.** in Dominica prima Aduent. *Quotiescunque natalem Domini, aut reliquas solennitates celebrare disponis, odium velut venenum mortiferum de corde vestro repellite, & tanta sit in vobis caritas, quæ non solum vsque ad amicos, sed etiam vsque ad inimicos perueniat, vt securè possitis dicere in oratione Dominica, dimitte nobis debita, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nam qui scit se vel vnum hominem odio habere, nescio si ad altare Domini securus possit accedere, cum præcipue Iohannes Euangelista terribiliter clamat, & dicit. Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est iudicare, vt rum homicida antiquam penitentiam agat, præsumere debet Eucharistiam accipere. Et **GREC.** libro decimo moralium. *Vitam animæ quælibet culpa polluit, seruatus verò contra proximum dolor occidit. Menti namque vt gladius figitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perforantur. Qui scilicet à transfixo corde si prius non educitur, nihil in precibus diuinæ opis obtinetur: quia & vulneratæ membræ imponi salutis medicamenta nequeunt, nisi ferrum à vulnere ante subtrahatur. Hinc est enim quod per semetipsum veritas dicit. Nisi remiseritis hominibus peccata eorum: nec pater vester, qui in caelis est.**

Matth. 5.22. & 6.12.

Matth. 6.12.

Hier. ep. 36.

Matth. 5.23.

Aug. serm. 1. de temp.

Matth. 5.23.

Greg. c. 19. l. 10. 11.

Matth. 6.14.

est, remittet vobis peccata vestra. Hinc admonet dicens: Cum stabitis ad orandum, dimittite siquid habetis aduersus alterum. Hinc contra institutionem postulationis, conditionem posuit pietatis, dicens. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. vt profecto bonum, quod a Deo compuncti petimus, hoc primum cum proximo conuersi faciamus.

IV. R E M E D. Considera, quam crebro, sedulo & serio Spiritus sanctus nobis in verbo suo commendat mandetq; virtutem odio è diametro contrariam, nempe dilectionem proximi. Primò enim Christus Dominus apud Matthæum declarauit mandatum de proximo diligendo simile esse mandato de diligendo Deo, ac proinde omnibus reliquis mandatis anteponendum. 2. indicauit & modum diligendi, vt nempe cum diligamus, sicut nos ipsi, non secundum æqualitatem, sed secundum similitudinem, conuenienter illi alteri Christi dicto legi naturæ consentaneo. *Omnia quecumque vultis, vt faciant vobis homines, et vos facite illis. Hac est lex et Propheta.* 3. etiamsi Christus vtramque dilectionem Dei & proximi à nobis postulet, præcipuè tamen videtur exigere illam proximi. Nam apud B. Ioannem migraturus ex hac vita discipulis dixit *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis iunice[m], sicut dilexi vos. Et. Hoc est præceptum meum, vt diligatis iunice[m], sicut dilexi vos.* Cur nouum, quod erat vetus, cur suum, quod erat Dei Patris, vocat præceptum, nisi quod velit illis tanquam præcipuum, & tanquam suum & nouum commendatum? Vnde S. Ioannes huius testamenti Christi archigrammateus. auctore B. HIERONYMO in commentariis epistolæ ad Galatas, cum Ephesi moraretur vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc. *Filioli, diligite alteratrum.* Tandem discipuli et fratres qui aderant tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt. *Magister, quare hoc semper loqueris? Qui respondit dignam Ioannis sententiam. Quia præceptum Domini est, et si solum fiat sufficit.* Hinc & Apostolus Paulus non semel in vna dilectione proximi plenitudinem legis posuit. Ad Galatas enim sic loquitur. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad Romanos verò. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt iunice[m] diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implet.* Et. *Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Diliges proximum tuum sicut teipsum.* B. IOANNES. quoq; ex dilectione proximi vult nos venire in notitiam dilectionis Dei. *Si quis dixerit, inquit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Hæc considerans B. AVE. in libris de Trinitate ita scribit. *Manifestum est, quod (B. Ioannes) iustitiæ perfectionem in fratris dilectione posuerit. Nam in quo scandalum non est, vti que perfectus est. Et tamen dilectionem Dei videtur tacuisse, quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deum.* Et

Mar. 11. 25.
Luc. 6. 27.

Matth. 6. 12.

Matth. 22. 39.

Matth. 7. 12.

Ioan. 13. 34.
Ioan. 15. 12.

Hier. 1. 3. c. 6.

Gal. 6. 2.
Rom. 13. 8.

1. Ioan. 4. 20.

Aug. 1. 8. de
Trin. c. 2.

Id. tract. 17.

in Euangelium Ioannis. *Dilectio Dei prior est ordine præcipiendi, sed dilectio proximi prior est ordine faciendi. Neque enim qui præciperet tibi dilectionem illam in duobus præceptis prius tibi commendaret proximum, et postea Deum, sed primò Deum, et postea proximum. Tu autem quia Deum non vides, diligendo proximum promeris quem videas: diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum euidenter Ioanne dicente. Qui diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?*

1. Ioan. 4. 20.

Aug. hom. 5.

Matth. 5. 45.

Matth. 22. 39.

Leu. 19. 17.

Matth. 18. 15.

Eccli. 8. 8.

Prou. 24. 17.

Iob. 31. 29.

Exod. 23. 4.

Matth. 5. 44.

Rom. 12. 14.

1. Cor. 13. 4.

Gr. g. c. 8.

Aug. serm. 5. de S. Steph.

V. REMED. Quo perfectius obserues mandatum de diligendo proximo, & longius abis ab odio, da operam vt etiam ex corde diligas inimicos. Antidotum est B. AVGVSTINI in libro 50. homiliarum. Et ratio est, quia diuinum præceptum de diligendo proximo, non ad amicos tantum, sed etiam ad inimicos se extendit. Cuius causam, duplicem Dominus ipse reddidit. *Diligite inimicos, inquit, vt sitis filij Patris vestri, qui in celo est, qui solem suum ori sui facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Et. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt? Modus autem diligendi consistit in eo. Primum, vt eos diligas, sicut te ipsum; quia indefinitè iubemur diligere proximum sicut nos ipsos. 2. vt ex corde remittas, si qua in re te offenderint. Nam in Leuitico dicitur. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo. Et apud Matthæum. Cum Christus retulisset seruum nequam, qui conseruo suo debitum dimittere noluit, traditum tortoribus. Sic, inquit, et pater meus celestis faciet vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. 3. vt non gaudeas de inimici miseria: vel doleas de prosperitate. Ait enim Sapiens. Noli de mortuo inimico tuo gaudere. Et Salomon. Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum. Vnde B. Iob vt auerteret à se hoc scelus dixit. Si gavisus sum ad ruinam eius, qui me oderat, et exultauit, quod inuenisset eum malum. 4. vt pro his oras, eosque dum obuii fiunt, æquè atq; alios, salutem, & beneficiis deuincias. Sic enim Deus iussit in Exodo. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc eum. Si videris Asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis sed subleuabis eum eo. Et Christus. Benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos. Et. Si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne et Ethnici hoc faciunt? Et Paulus. Benedicite persequentibus vos: benedicite, et nolite maledicere. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Et Caritas patiens est, benigna est, non cogitat malum. Patiens est caritas, inquit. B. GREGORIUS. decimo moralium. quia illata mala æquanimiter tolerat: benigna verò est, quia pro malis bona largiter ministrat. Verum dices. Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem perior crudelissimum. Respondet B. AVGVSTINVS in sermonibus de sanctis. O quicumque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, et non consideras, quid tu feceris Deo. Cum enim tu multa grauiora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis ho-*

mini parum, ut tibi Deus dignetur remittere multum? Recole quid tibi in Evangelio
 veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodo contumeliam fecerit. Si enim, inquit,
 dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester caelestis peccata
 vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet debita vestra. Videtis fratres,
 quia cum Dei gratia in potestate nostra positum est qualiter à Domino iudicemur? Nam
 saepe dixi, fratres, & frequentius dicere debeo, nemo se circumueniat, nemo se seducat.
 Qui vel vnu in hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis ob-
 tulerit, totum perdet, qui non mentitur Paulus Apostolus dicens. Si dehero omnes facultates
 meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem
 autem non habuero, nihil mihi prodest, &c. Nemo sine caritate de virginitate praesumat
 nemo de ieiuniis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiu inimicitiam in corde te-
 nuerit, neque in istis quibuslibet operibus bonis placare sibi Dominum poterit. Sed di-
 cet aliquis. Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare? Nec nos ne-
 gamus fratres. non paruus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit praemium in
 futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei: imò non solum ami-
 cus, selettam filius, sicut ipse Dominus dixit. Diligite inimicos vestros, benefacite his
 qui oderunt vos, ut sitis filij Patris vestri, qui in caelis est. Deinde, ut habet B.
 Chrysostomus in quadam homilia ad populum Antiochenum. Nihil ita
 Deum reddis propitium sicut inimicos diligere, & calumniantibus benefacere.

Matth. 6. 14.

1. Cor. 13. 5.

Matth. 5. 45.
Chry. hom. 51.

VI REMED. Considera exempla eorum, qui in dilectione etiam ini-
 micorum excelluerunt, ac proinde longissime ab odii noxa abfuerunt.

Amb. c. 7.

Primum sic Patriarchae Iosephi de quo B. A. M. B. in lib. de Ioseph Patriar-
 cha ita scribit Ioseph à parentibus plus quam ceteri filij diligebatur. Sed ea res inui-
 dia fuit, quod silentio praeterendum non fuit. Hinc enim argumentum totius historiae
 processit: simul ut cognoscamus perfectum virum non moueri vlciscendi doloris inui-
 dia, nec malorum rependere vicem. Vnde & David ait: Si reddidi retribuētibus mihi
 mala. Quid autem esset, quod praeferrī Ioseph mereatur ceteris, si aut ledentes lassisset,
 aut diligentes dilexisset. Hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimi-
 cum tuum: quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Evangelium,
 ut laesus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret iniuriam, sed gratiam pro-
 contumelia solueret: quod post Evangelium omnes didicimus, & seruare non possumus.

Psal. 7. 5.

Matth. 5. 45.

Discamus ergo & sanctorum inuidiam, ut imitemur patientiam, & cognoscamus illos
 non natura praestantioris fuisse, sed obseruationis: nec vitia nefcisse, sed emendasse. **A. L.**
TER VM sit protomartyris Stephani, de quo A. V. C. loco citato. Positis geni-
 bus, inquit scriptura, clamauit dicens Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Videte dile-
 ctissimi affectum beati viri, videte magnam & admirabilem caritatem. In persecutione
 positus erat, & pro persecutoribus deprecabatur, atq; in illa lapidum ruina, quando alius
 obliuisci poterat etiā carissimos suos, tunc ille Domino commendabat inimicos. Quid n.
 dicebat cum lapidaretur? Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaq; tunc illorum dolebat
 peccata, quā sua vulnera. Plus illorum impietatem, quam suam mortem dolebat. In ierem. 17.

Aug. serm. 51.
Act. 7. 59.

et 99.

ergo in aliquo dilectissimi fratres tanis magistri fidem, tam præclari martyris caritatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos. Sed quod peius est, aliquoties non solum inimicos non diligimus, sed ne amicis quidem fidem integram custodimus.

VII. R E M E D. pro Religiosis, ut etiam in minimis offensionibus, caueant similitudinem, rancorem, amarulentiam vel auersionem animorum à fratribus ita enim apud CASSIANVM Abbas Ioseph differit. In tantum non vult nos Deus noster alterius despectum habere tristitiam, ut si aliquid aduersum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi à nobis permittat offerri, donec de animo eius tristitia iuste, iniusteue conceptam celeri satisfactione tollamus. Neque enim ait. Si habet veram querelam aduersum te frater tuus, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: sed si recordatus fueris, inquit, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, id est, etiam si leue aliquid accidit, quo fratris in te fuerit excitata commotio, et hoc memoriam tuam subita recitatione pulsauerit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi prius qualibet ex causa orta tristitia de corde fratris benigna satisfactione depuleris. Et paulo post. Illud quoque quibus lacrymis est descendendum, quod nonnulli dicunt. Si secularis hoc fecisset, aut dixisset, rectè debuit sustineri. Quis autem ferat fratrem tam insolentem de ore conuicium proferentem? Quasi verò patientia non omnibus sit generaliter exhibenda, cum utique perturbata mentis commotio obstinata non dissimile, contra quemuis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum. Deinde significanter expressit Evangelicus sermo dicens. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et rursus. Illud verò quale est, quod interdum patientes esse nos credimus, quia respondere contemnimus lacepsit, vel motu gestuque irrisorio fratrem subsannamus? Quasi verò apud Deum verba tantummodo, et non precipue voluntas vocetur in culpam, et opus solum peccati et non etiam votum ac propositum habeatur in crimine. Quid enim differt, utrum quis gladio peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipsius enim dolo vel crimine consuet extinctum? Et infra. Sape autem ficta patientia etiam accendit ad iracundiam, quam sermo succendit, et atrocissimas verborum transcendit iniurias maligna taciturnitas: leuisque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentium subdola blandimenta. De quibus propriè dicitur per Prophetam. Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula. Et alibi. Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetrabilia ventris. Deinde B. BERN. trañans locum illum Cantico- rum. Filij matris meæ pugnaverunt contra me. cum fratres suos magno feruore spiritus ita allocutus esset. Ante mibi contingat mori, quam audire in vobis quempiam iuste clamitantem: Filij matris meæ pugnaverunt contra me. Nonne presentis congregationis tanquam vnus matris filij omnes vos estis? Paulo post subiecit. Proinde dilectissimi, pacem habete ad vos et nolite le.lere inimicem, non factis, non verbo, non signo qualicumque. Si enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Nec cauendum à grauioribus tan-

Cass. cell. 16. c.
15. 17. 18.

Matth. 5. 13.

6. 27.

c. 13.

Psal. 54. 22.
Prou. 18. 3.
Bern. serm. 19.
in Cant.
Cant. 1. 6.

Matth. 25. 40.

tam offensis, verbi gratia, ab aperto conuictio, seu maledictio, sed à clandestino quoque et
 venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his, et his similibus. cauenda
 sunt et leuia: si tamen leue debeat dici, quodcumque in fratrem præsumpseris volunta-
 te ledenti, cum hoc solo, si irasceris illi diuini reus iudicij tenearis. Merito quidem;
 nam quod tu leue putas, et ob hoc leuius præcipitas, plerumque aliis aliter accipit, tan-
 quam homo videns in facie, et secundum faciem iudicans paratus festucam trabem su-
 spicari, et scintillam putare fornacem. Non enim est omnium caritas illa, que omnia
 credit, etc. Non potest orare, non potest legere, non sanctam aut spirituale aliquid med-
 tari. Et si a intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem ani-
 ma, pro qua Christus mortuus est, quid tu interim queso animi habes? Et infra. Quod
 si dixeris illum non tam grauiter pro tam leui causa debuisse turbari. Respondeo, quanto
 leuior est, tanto à te leuius potuit non committi: quanquam nescio, quomodo leue di-
 cas, ut iam dixi, quicquid amplius est, quam irasci, cum vel hoc ipsum obnoxium esse
 iudicio ex ore ipsius acceperis iudicis. Quid enim? tunc leue dixeris, in quo offenditur
 Christus, unde ad Dei iudicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidere in manus
 Dei viuentis? Tu ergo accepta forte iniuria (quod quidem interdum non accidere in
 his conuentibus difficile est) non continue more secularis obliquè referre fratrem resp-
 sione festines, sed neque sub specie quasi corripienti, verbo acuto et vrenti transfigere
 audeas vllatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est, non grunnire quasi
 increpando, non labiis mustitare quasi murmurando, non nauem contrahere, aut cachin-
 nare quasi subsannando, non frontem rugare quasi inuehendo aut commando. Sane
 commotio tua à li moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire, que mortem portat, ne
 perimat, ut dicere possis et tu cum Propheeta. Turbatus sum et non sum locutus.

1. Cor. 13. 7.

Heb. 10. 30.

Psal. 76. 5.

VIII. REMEDIUM est Humilis postulatio veniæ ab eo qui tibi of-
 fensus est, Est B. AVGVSTINI in libro 50. homiliarum. Ipsos imprimis admo-
 neo, quicumque habeis discordiam cum fratribus vestris, et reuocatis ad vos, et confi-
 deratis vos, et nullum iudicium feritis in vobis inuis in cordibus vestris, et inuenitis
 vos non debuisse facere, quod fecistis, non debuisse dicere, quod dixistis. Petite veniam
 fratres à fratribus vestris: facite fratribus, quod ait Apostolus. D. nantes vobis i. s. s.
 sicut et Deus in Christo donauit vobis. Nolite erubescere veniam petere. Proinde omni-
 bus dico viris et feminis, minoribus et maioribus, laicis et clericis. Dico et mihi ipsi.
 Omnes audiamus, omnes timeamus, si peccauimus in fratres nostros. Si adhuc inducias
 viuendi accepimus, non ideo morimur. adhuc enim viuimus, nondum damnati sumus.
 Dum viuimus, facimus quod iubet pater, qui erit Deus iudex omnium, ut petamus ve-
 niã à fratribus, quos forte peccando in eos aliquid offendimus, aliquid læsimus. Subi-
 cit deinde de dominis peccantibus in seruos, à quibus ait non petendam
 veniam, ne superbiant. Quid ergo? Antè oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei
 puniat eor suum: et se non potest dicere seruo suo, quia non oportet, da mihi veniam, blã-
 de illum alloquatur: blanda enim appellatio veniæ est postulatio. Deniq; & subdit,
 quid agendum ei qui læsus est, & non læsit. Quid ergo dicturus sum? Vade ad

Aug. hom. 40.

Eph. 4. 32.

illum & tu pete veniam, abs te nolo mentiaris, nolo dicas, da mihi veniam: qui te non
non peccasse in fratrem tuum. Quid enim prodest tibi, cum tu tuus fueris accusator, qui
expetis tibi ignosci ab eo quem non lesisti, aut in quo non peccasti? Debet inter
alij pacifici, qui illum obiurgant, ut a te prius veniam petat: tu tantum paratus es lo-
sere: prior paratus esto ex toto corde dimittere. Si paratus es dimittere iam dimisit-
habet adhuc quod ores. Ora pro illo, ut petat a te veniam, quam scis ei nocere si non peto.
Dic Domino in oratione tua. Domine scis me non peccasse in illum fratrem meum, sed
illum potius peccasse in me: si veniam non petat a me. Ego bono animo peto, ut igno-
scas es.

V I D E. V. Amor sui. Blasphemia. Consuetudo prava. Discordia. Immor-
tificatio passionum. Impatientia in aduersis. Ingratitudo. Ira. Maledictio.
Murmuratio. Superbia. Vindicatio iniuria.

O T I V M.

Remedia contra Otium.

Prou. 11. 11.
Prou. 18. 19.
Eccli. 31. 29.
Ezec. 16. 49.
Matth. 7. 19.

Matth. 20. 6.
Luc. 13. 7.

Gen. 2. 15.
Iob. 5. 7.
Eccli. 7. 16.
1. Cor. 3. 8.
1. Theff. 4. 11.
2. Theff. 3. 10.

Eccli. 4. 23.
Eccli. 14. 14.
Eccli. 25. 21.
Eph. 5. 4.

Aas. in cap.
116.

I. REMED. Considera quid diuina scriptura asserat de otio. Primo
enim reprehendit illud, declaratque multorum malorum sic cau-
sam, ut in Prouerbijs Salomonis. *Qui seclatur otium, inquit, stultissimus est.*
Et. *Qui seclatur otium replebitur egestate.* Et in Ecclesiastico, *Multam malitiam
docuit otiositas.* Et apud Ezechielem, *Hac fuit iniquitas Sodoma sororis tuae, su-
perbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius.* Et apud
Matthaeum, *Omnis arbor quae non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mi-
retur.* Et. *Quid hic statis tota die otiosi?* Et apud Lucam, *Succide illam, id est arborem
fici, in qua fructus nullus inuentus erat, ut quid etiam terram occupat &
commendat laborem, ut homini congruentem.* Tulit enim Deus, ut est in
Genesis, *Dominus Deus hominem & posuit eum in paradysum voluptatis, ut opera-
retur, & custodiret illum.* Et Iob ait. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad uole-
tum.* Et Ecclesiasticus. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab al-
tissimo.* Et Paulus. *Vnus quisque propriam mercedem accipiet secundum suum labo-
rem.* Et. *Rogamus vos fratres ut opere mini manibus vestris sicut praecepimus vobis.* Et
Quoniam si quis non vult operari nec manducet. 3. monet, ut tempus bene impen-
damus, ut in Ecclesiastico. *Fili, conferua tempus & deuita a malo.* Et. *non de fru-
deris a die bono, & particula boni doni non te praterat.* Et. *Nemini Deus dedit spacium
peccandi.* Et in Apostolo. *Videte fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insi-
pientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

II. REMED. Considera sententias SS. Patrum, BASILIVS in verba
Isaiae. *Ieiunium, otium, & Neomenias vestras odit anima mea.* Inter ea quae odit, in-
quit, praesequitur Dominus, *vanum hoc est, segne & iners otium, nimirum in cessatio ab*
hi.

bis, quae nos ex officio attingit facere. Et mox subdit. *Quomodo enim non odio profes-*
quendum otium, quod formica & apis peiorem efficit hominem, qui utique initio condi-
tionis suae positus in paradiso est, ut operaretur & custodiret eum. Primum igitur &
maximè proprium humanae conditioni studium est, ut operetur, ita ut iners otium sit
 Chry. hom. 16
 s ROMVS in epistolam ad Ephesios. Otium malitiae pars est, imò verò non pars
 sed causa & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium; itaque cauendum, ne
 stulte quaestiones istas indagemus, ne mpe quem sit habiturus locum, qui nihil boni fecit,
 Nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim, si famulum ha-
 beres, qui & sine furaretur, nec conuitiaretur, nec contradiceret, imò nec inebriaretur,
 nec reliquorum malorum quicquam designaret, sederet tamen perpetuo otiosus, nec aliqd eo-
 rum quae seruus hero suo praestare debet, faceret, non flagellares illū ut peruersum? AM- Amb. lib. 1. c. 6
 BROSIVS de Cain & Abel. Apud ignavos nulla sunt insignia virtutis: apud Sa-
 pientes prima habentur. Studia enim virtutis quaedam instrumenta sunt. Itaq; sicut bel-
 lator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus. Vnde & Dominus in
 Euangelio ait. *A diebus Ioannis Baptista regnum caelorum cogitur & cogentes diripi-*
 unt illud. Et alibi. *Quae sita regnum Dei, & ecce omnia praesto sunt vobis, non dor-*
 mientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus & laborantibus pollicentur praemia, &
 labori merces parata est: qui licet non suavis ad gratiam, tamen fructuosus ad praem-
 ium est. Et infra. *Nulla enim sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.* Id. l. 2. c. 2.
 Hier. ep. 4
 HIERONYMVS. ad Rusticum monachum. Facito aliquid operis ut te semper
 diabolus inueniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio vivere,
 laborabant manibus suis, ne quem grauarent, & alii turbabant refrigeria, quorum
 pro spiritualibus debeant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non praepares?
 Et paulo post. *Texantur lina capiendis piscibus: scribantur libri, ut & manus ope-*
 retur cibum, & animus lectione saturaretur. In desideris est omnis otiosus. Aug. ep. 81
 ad Abbatem insulae Caprariae. Si quam operam vestra mater Ecclesia desidera-
 uerit, nec elatione auda suscipiatis, nec blandiente d. fida respiciatis, sed miri corde ob-
 temperetis Deo, cum mansuetudine portantes eum, qui vos regit, qui dirigit miles in iu-
 dicio, qui docet mansuetos vias suas. Nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiae praepo-
 natis, cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inue-
 niretis. Sicut autem inter ignem & aquam tenenda est vita, ut nec exuratur homo,
 nec demergatur: sic inter apicem superbiae, & voraginem desidiae iter nostrum tem-
 perare debemus, sicut scriptum est. *Non declinantes neque ad dexteram, neque ad sini-*
 stram, &c. Sic ergo delectissimi diligite otium ut vos ab omni terrena delectatione re-
 frenetis. Et in libris de ciuitate Dei. *Quid est, quod cum labore meminimus, sine la-*
 Aug. l. 22. c. 22.
 bore obliuiscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus: cum labore stentui, sine
 labore inertes simus? Nonne hinc apparet, inquit velut pondere suo procliuus & prona
 sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnitates,
 pigritia, negligentia, vitia sunt utique, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam

Cass. lib. 10. c. 6.

qui est vitis, pœna fit. CASSIANVS in institutionibus monasticis. Mens otiosi (monach) nihil aliud cogitare nouit, quam de escis ac vent re, donec inuenta quanda sodalitate cutusquam vri, vel femina a quali tempore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxijs occupationibus trretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiqua se valeat enodare. BERN. de Consideratione ad Eugenium Papam. Si reffe S p'ens hortatur sapientiam scribi in otio, cauendum est in otio, otium est. Eugiensis proinde otiositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nuga nuga sunt in ore sacerdotis blosphemie. Interdum tamen si incidunt, ferende fortassis, referende nunquam SENECA ad Lucilium. Otium sine litteris mors est, & viui hominis sepultura.

Bern. lib. 2. in fin.

Eccel. 38. 25.

Sen. ep. 82.

Iob, 5. 7.

Ioan. 5. 18.

Heb. 1. 14.

Serm. 16.

Basil. c. 5.

Gen. 2. 15.

Amb. in praef.

Gen. 3. 19.

III. REMED. Considera quam turpe sit hominem, alioquin ad laborem natum, teste Iob, aspirare ad otium, cum nihil in mundo otio vacet, ne Deus quidem totius mundi opifex. Pater meus vsque modo operatur inquit apud B. Ioannem Christus, & ego operor. Angeli omnes, teste Apostolo in epistola ad Hebraeos, sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem captunt salutis. Cœlestes orbis nulla quiete interposita continenter agitantur. Ecce enim sol, vt est apud Augustinum in sermionibus ad fratres in eremo, cursum anni perficit, Luna etiam mensibus & vicissitudinibus discurret, & ceteræ stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercet. Nunquid etiam animalia bruta ad suam naturam industriam otium fugiunt? nunquid etiam laborant, vt conferrentur in esse? Nunquid in suis necessitatibus desicere & prægressum videntur? Absit. Omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt, quod agere debent. Quæ ergo dementia est, vt solus homo de ignauo otio agendo cogitet. Neque enim eo consilio, inquit, S. BASILIVS in constitutionibus monasticis Dominus hominem finxit, vt segnis ac languens desideret, sed contra potius, vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret: quando quidem & primo Adæ in paradiso precepit vt laboraret, & paradysum ipsum custodiret: & tum deinde postquam ex illo eiecitus exulauit, sententiam tulit, vt pane suo in sudore vultus sui vesceretur. Quod autem quæ Adæ dicta tum fuerint, ea omnibus etiam dicta sint, qui ab eo sunt oriundi, ex hoc liquidò perspicitur potest. quod cum illum tantummodo tum nominatim Deus morte multasset, quando dixit, Terra es, & in terram reuerteris: nihilominus tamen omnes, quot ab eo originem duxere e. usdem similiter vna cum eo calamitatis participes extiteret. Quamobrem conuenit vnumquemque, neque naturæ ordinem, neque præscriptos ab natura opifice limites transilire, potiusque in his continere se, & corpus in actione aliqua occupatum tenere: illudque providere, ne ipsi sum dum grauius, quam par est, premat. Et S. AMB. in Lucam. Neque enim otiosus dicitur est homini, quod nulli aliorum animantium. In sudore vultus tui manducabis panem tuum. His enim animalibus, quæ natura irrationalia sunt, iussu Dei terra pabulū ministrare præcepta est. Soli autem homini, vt rationale quod accepit, exerceat, vti & cursum in labore præscribitur.

Qui

Qui enim non est contentus animalium pabulo ceterorum, cui non satis est lignum fructiferum commune omnibus ad escam datum, sed delicias sibi variarum exquirat epularum, delicias sibi transmarinis arcessit à terris, delicias verris è fluctibus, recusare non debet, qui labore victum requirit breuem, si laborem pro vita habeat æterna.

IV. R E M E D. Considera otium patefieri ianuam diabolo & omnibus vitis. Otium enim, vt vulgo dicitur, est puluinar diaboli. Aliquid operis facti-

Hier. ep. 4.
Cass. c. 25.

to, supra monuit B. HIER. monasticos cupidum, vt se per te diabolus inueniat occupatum. Et IOAN. CASSIANVS lib. 10. institutionum monasticarum

Hæc, inquit, apud Egyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem monachum demonio vitio pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus deuastari. Otium

Basil. hom. 7.
Eccli. 33. 29.

autem maleficij esse principium nemo est qui ignoret, scribit B. BASILIVS in hexameron. Imo teste Spiritu sancto magister & doctor est ipsius malitiæ. Multam malitiam, inquit, docuit otiositas. Neque enim leuiora tantum delicta,

Chry. hom. 36.

sed etiam grauissima & nefaria crimina in otii ludo discuntur, quæ nomine multa malitiæ hic intelliguntur. Hinc B. CHRYSOST. in Math.

Aug. serm. 16.

scribens. Valde, inquit, desidero vos bonis operibus esse occupatos: omnium enim vitiorum quasi magistra quæ iam atque origo est otiositas. Et AVE. loco supra allegato. Per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam,

per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur preciosè vestiti, per hanc ad superfluum dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur. Nunquam quis ciuis colorum erit, si otiositatem amauerit. Atque

Amb. serm. 12.

hæc causa est, cur B. AMBR. in expositione psalmi 118. non dubitet, tempus belli & persecutionis, temporis pacis, quo etiam viget, antepone.

Cuo enim fides, inquit, in exercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus infidator irrumpt: assuetum bello virum externa

fraus instruit, & gloriosa prouehit palma victoriæ. Pax ergo fideli corruptela materia est. Quam palchre nobis persecutionis processere tempora? Intentus sicut medicus erat

intima ad Deum mentis affectus, illi adhaerebat, nec vllas cogitationes obstrepentes sibi praeantis animus sentiebat, totis visceribus fundebatur oratio, & quidem miscebatur

sermo cum Domino: quotidiana meditatio habebat iam contemptum periculi, & vsu calcande mortis receperat, quod amisimus exercitum. Tentant otia, quos bella non fregerant. Periculosa igitur & pacis otia. In pace plures persecutiones esse ceperunt. Nul-

lus erat tempore persecutionis adulator: non vacabat animo, corporis delectatione dissolui, & huiusmodi, quæ secundis rebus excitari solent, admittere passiones. Eadem de

Hier. in c. 10.
Eccl. & ep. ad
Innoc.

causa HIER. non semel otium appellauit rubiginem sapientiæ & ingenii; vt enim tempore pacis videmus arma bellica, splendore suo destitui, & rubigine obduci, sic in otio animus noster exercitatione virtutum destitutus quasi torpescit & rubiginem contrahit, ac situm spiritualem.

V. R E M E D. Considera exempla eorum qui propter otium in grauissima crimina lapsi sunt. Nam si religionem spectes, quid grauius idolo-

Exo. 32. 6.

latria, adhuc otium filios Israel pellexit, vt Moyses in monte cum Deo agente aureum vitulum impiè adorarent. *Sedit populus, inquit scriptura, manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Si vero temperantiam, quid scelerius eo libidinis genere, ob quam Sodoma & Gomorrha aliaque vrber cœlesti fulmine absumptæ sunt, cuius causam Ezechiel Propheta saturitati panis & otio ipsarum, & filiarum tribuit. *Quem tædet orare vel psallere, inquit AVEVSTINVS, ad fratres in eremo, laborare manibus non differat, cogitates, quod quamdiu David exercitauit se in militia, non insultauit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit laborauit adulterio, & homicidium commisit Samson, dum cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormiuit in sinu feminae, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & cecatur ab hostibus. Salomondum occupatus esset in edificatione templi, non sensu luxuriam, sed mox recedens ob opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens, femina instigante, ad idola, adorauit in thalamo vitulum aureum. Vigilate ergo fratres mei, & nolite deficere: quia nec sanctiores Dauide, nec fortiores Samsonè, nec sapientiores Salomone vos esse cognoscite.*

Ezech. 16. 49.

Aug. serm. 16.

2. Reg. 11. 4.

Iud. 16. 21.

3. Reg. 11. 4.

Matth. 20. 8.

Matth. 16. 27.

1. Cor. 3. 8.

Apoc. vi. 12.

Ba^r orat. ad diu. 15.

Matth. 13. 8.

1. Cor. 9. 6.

Greg. 4. mon. 4. 42.

Rom. 3. 18.

1. Cor. 4. 17.

Luc. 6. 38.

Aug. tract. 3.

Psal. 16. 4.

VI. REMED. Considera in verbo diuino non otiosus, sed laborantibus promitti mercedem, vt liquet ex parabola conductorum ad vineam apud Matthæum, vbi Dominus vineæ ait. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Et apud eundem Christus. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis & tunc reddet unicuique secundum operacius.* Et Paulus. *Vnicuique mercedem recipiet secundum suum laborem.* Et Ioannes. *Eccc veritas, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Vnde B. BASILLIUS Opera ostende, & exige retributionem. Deinde promittitur maior merces secundum maiorem laborem, vt liquet ex parabola seminis apud eundem Matthæum; nam aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum fructum profert. Et Paulus, ait. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, hoc est liberaliter, de benedictionibus & metet.* Vnde B. GREG. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum: vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.* Denique in eodem verbo declaratur exiguos esse labores nostros, si cum excellentia mercedis vitæ æternæ conferantur. *Non sunt condigna possessiones huius temporis, ait Apostolus, ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis. Et. Id enim quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostra supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Imò Christus Dominus. *Mensuram bonam, & confertam, & coactam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Vnde B. AVE. scribens in epistolam B. Ioannis. *Quid mihi postea dabit, decet aliquis, qui in hoc seculo video me laborare inter tentationes, dicam Deo meo; Propter verba laborum tuorum custodiui vias duras. Ad quam ergo mercedem? Audi, & noli deficere. Si deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Homo promissit, qui te potest fallere. Quanto fortior esse debes in agro Dni, quando promissit*

reit. at.

veritas, cui nec succedi potest, nec mori nec fallere potest, eum cui promissum est. Et quid est promissum? Aurum est, quod hic multum amant homines, an argentum? An possessiones ob quas homines fundunt aurum? An amana prælia, ampla domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur merces ista? vita æterna. Audistis & gavisæ exclamastis. amate quod audistis, & liberamini à laboribus vestris in requiem vita æterna. Ecce quid promittit Deus? vitam æternam. Ecce quid minatur DEVS? Ignem æternum.

VII. R E M E D I V M. Da operam, ut non facile facias iacturam aliquam tempotis, quod etiam Ethnici maximi fecerunt. Pittaci enim vnius è septem sapientibus dictum est, *ὥσθι χρόνον*, nosce tempus, hoc est, oportune age omnia. Theophrastus apud Laetium. *Sumptus præciosissimi*

tempus nam elapsum nullo pretio recuperari potest. Democritus Milesius. *preciosissimum impendium tempus.* SENECA ad Lucilium. Non tam benignum ac liberale natura nobis tempus dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere. Et PLINIVS maior, cum aliquando nepotem suum cerneret ambulationi vacantem. Poteras, inquit, has horas non perdere. Recte ergo Apostolus ad Galat. Bonum,

ait, facientes, non deficientis: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes. In quæ verba B. HIER. Tempus sementis tempus est præsens, & vita quam currimus. In hac licet nobis quod volumus seminare. Cum ista vita transierit, operandi tempus auferitur. Unde & saluator ait. Operamini, dum dies est, venit nox, quando iam nullus poterit operari. Et infra. Breve est vita istius curriculum. Hoc ipsum quod loquor, quod dico, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. TITVS filius Vespasiani, qui in

visionem Dominici sanguinis subuersis Hierosolymis Romam victor ingressus est, tante dicitur fuisse bonitatis, ut cum quadam nocte sero recordaretur in cæna, quod nihil boni die illa fecisset dixerit amicis. Hodie diem perdidisti. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, & rates, cum otiosam, verbum loquimur, pro quo redituri sumus rationem in die iudicii? Quod si hoc ille sine lege, sine Evangelio, sine Saluatoris & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit, quid nos oportet facere?

Idem in epistolam ad Ephesios, dum exponit verba illa. Videte quomodo

cante ambuletis, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Qui sapiens est, inquit, & ideo caute ambulat, redimit tempus. Tempus autem redimit, quia dies mali sunt.

Quando in bono opere tempus consumimus, emimus illud & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem vita huius quærens necessaria, & de divitiis & sollicitudinibus, quam Evangelium spinas nuncupat, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri.

Denique in caput primum Aggæi. Stoici, inquit, dixerunt omne tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus deservimus, sed vitis, perit, & quasi non fuerit reputatur in nihilans.

VIII. R E

Laert. l. i.

Sen. ep. 12.

Galat. 6. 9.
Hier. l. 3. comment.
Ioan. 9. 4.

Id. lib. 3. comment.
Eph. 5. 25.

March. 12. 29.

VIII. REMED. Prouide, vt ad cauendum otium, tempusq; redimen-
 dum ita te occupes actionibus & laboribus instituto tuo consentanea
 ne quod præcipuum est, negligas, nempe animæ salutem: id enim esse
 vitium vitio pellere & vnum diabolus pro alio admittere. Quia in re ha-
 lucinantur, qui vt otium fugiant, dedunt se potationibus, luti-
 bus, ambu-
 lationibus, aliisque rebus ipso otio sæpe deterioribus, ista enim oblecta-
 menta grauib; nonnunquam tentationibus fomenta subministrant.
 Stultissimum verò est, in iis occupationibus vitam agitare, quæ ita tem-
 pus omne eripiant, vt cum ad exitum vitæ peruentum sit, minimam tem-
 poris partem nostram fuisse dicere possimus. Quid enim stultius, quam
 vt tum reperiamur serui fuisse hominum, & occupationum, de animæ
 verò salute, quæ imprimis quærenda erat, nullam curam habuisse? Est
 enim hoc genus occupationum suapte natura vel bonum esse possit, vel
 adiaphorum, vt sunt omnia studia literarum, nobis quidem certe hoc
 ipso bonum non est, quod nos ipsos nobis suffuratur. Hoc certe omnium
 actionum, vitæq; totius fundamentum esse debet, vt sobriè, piè & iuste se-
 cundum Apostolum hanc vitam instituamus in hoc seculo. Atque idcir-
 co sapienter monet A. V. C. dum locum Paulinum de tempore redimen-
 do ante citatum exponit, vt occupationibus, siue litterarû, siue negotia-
 tionum, siue litium, siue aliis quibuscunq; nos dedamus, tempus tamen
 aliquod eripiamus curandæ salutis nostræ, id enim esse apud Apostolum,
 redimere tempus. *Expectatis, inquit, à me forte scire quid est tempus redimere.
 Diciturus sum, quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: ta-
 men dicam, quoniam ipsi pauci, qui me audieturi sunt inter malos viuunt. Redimere
 tempus hoc est. Quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, vt Deo vaces non litibus
 perde. Ergo ex eo, quod perdes, pretium est temporis. Certe quando pro tuis necessitatibus
 procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut ali-
 quam suppellectilem, das & accipis, aliquid amittis, & aliquid acquisis: hoc est emere.
 Nam si nihil amittas, & habeas quod non habeas, aut inueisti, aut donatum accipi-
 sti, aut hereditate acquisisti. Quando autem aliquid amittis, vt aliquid habeas, tuos
 emis: quod habes, emptum est: quod amittis pretium est. Quomodo ergo perdis nummos,
 vt emas tibi aliquid: sic perde nummos, vt emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus re-
 dimere.*

Tit. 1. 16.

Aug. de verbis
Apost. serm. 16.
Eph. 5. 15.Cass. l. 10. 97.
& 17.
1. Thess. 4. 11.

IX. REMED. Considera exempla eorum qui otii hostes fuere. Pri-
 mus sit B. PAVLVS Apostolus, qui tum vt otium caueret, tum ne cui-
 quam offendiculo vel oneri esset etiam labore manuum victum parauit,
 & aliis vt idem facerent verbo exemploq; hortatus est, quemadmodum
 prolixè ex scripturis probat in libro de Spiritu acedix I O A N. C A S S I A-
 N V S. Sic enim in priore ad Thessalonicenses epistola loquitur. *Rogamus
 autem vos fratres, vt quieti sitis, & vt vestra negotia agatis, & operemini manibus
 vestris*

vestris sicut præcepimus vobis & ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & ut nullus aliquid desideretis. In posteriore verò sic. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri IESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, ipse enim scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauauerimus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos hoc denunciamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Et in actis Apostolicis conuocatis Ecclesiæ præbyteris dixit. Aurum & argentum nullius concupisti, ipse scitis, quoniam ad omnia, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrarunt manus istæ. SECUNDVS SIT B. HIER. qui qua arte otium & libidinem vicerit ita scribit ad Rusticum monachum. DVm essem iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incontinua vitiorum, ardoremque nature ferre non poteram, quem cum crebris ieiuniis frangere m, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edomandam cuiusdam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, gratitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid tibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperauerim, quotiesque cessauerim & contumione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. De Ægyptiorum verò monasteriis ibidem sic scribit. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne vagetur perniciosus cogitationibus mens. Consentit lib. citato CASSIANVS. His exemplis, inquit per Ægyptum Patres eruditi, nullo modo otiosos esse monachos, ac præcipue iuuenes sciunt, actum cordis ac profectum patientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes; & non solum à nullo quicquam ad usum victus sui accipere patiuntur, sed etià de laboribus suis non tantum superuenientes, & peregrinos reficiunt fratres, verum etiam per loca Lybiæ, quæ sterilitate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his, qui squalore carcerum contabescunt, immanem conficientes dirigunt alimonie victusque substantiam, de fructu manuum suarum rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes. Addit deinde exemplum Abbatis Pauli inter Patres probatissimi, qui singulis annis omne opus manuum suarum (hoc est, folia palmarum in antrum suum collecta) supposito igne concremabat, in tantum, inquit probans sine opere manuum, nec in loco posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis & cogitationum soliditate ac perseverentiâ cellæ vel acediæ ipsius victoria & expugnatione perficeret. IAM VERO de S. MARTINI monasterio in Gallis ad Ligerim constructo, quemadmodum otium fugerit, in hunc modum scribit SEVERVS Sulpicius. Discipuli octoginta erant qui

2. Theff. 3. 6.

Act. 20. 34.

Hier. ep. 4.

Cass. c. 17.

cap. 24.

Sulp. in vita. S.

Mart. c. 7.

ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quiquam proprium habebat, omnia in medio conferebantur. Non emere aut vendere, ut plerique monachis moris est, quicquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operum non atque deputabatur. Maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuerat egressus, nisi cum ad locum orationis conueniebant. Cibum vna omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas roegisset. **TERTIVS** **BERN.** qui vti Guilielmus Abbas Bonæuallis in eius vita scribit, cum omnes suos fratres corporali labore quotidie exerceri vellet, ne se quidem excipi voluit, & si quando ob virium imbecillitatem, eosdem carnalibus labores sustinere non valeret, similes tamen, ut credendi, vel portandi ligna, ut humilitate onus compensaret, sustinebat: Cumque aliquando fratres foras demetendi foeni frumentive causa abituri essent, cum lacrymis metendi gratiam à Deo impetrauit. Idem cum de suis quendam ardentem operi instantem vidisset, diuinitus prædixit, eum ob hunc laborem à Purgatoris poenis liberum futurum. Secuti sunt hos alii, inter quos **S. FRANCISCVS**, teste B. Bonauentura, & sua ipse manu persæpe laborabat, & ociosum quendam, fugitantemque laboris appellauit, fratrem muscam, & ab Ordine suo remouit.

VIDE V. *Accidia. Chorea. Colloquia otiosa. Curiositas. Exemplum malum. Immodestia. Lingua abusus. Pigris. Tepiditas. Voluntas propria.*



P

PECCATVM.

Remedia contra Peccata.

PRIMUM Remedium. Considera quid Spiritus S. generatim de peccatis in diuinis scripturis patefecerit. Primo declarat omnes homines conceptos in peccato (excipe Christum & eius matrem). Vnde David. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Et Apostolus. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* 2. procliuus ad peccandum. Vt in Genesi. *Sensus & cogitatio humanae carnis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et in Epistola ad Galatas. *Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem.* 3. neminem esse, qui non peccet. Vt in libris Regum. *Non est enim homo, qui non peccet.* Et in prouerbijs.

In Surio. 20.
August.

Th. Cantipr.
lib. 2. c. 5.

Bonau. in eius
vita.

Psal. 50. 7.

Gen. 8. 21.
Gal. 5. 17.

3. Reg. 8. 46.
1. Rou. 2. 13.